

cem, neque enim fit in illa subjectum de prædicato, neque prædicatum de subjecto, quia subjectum antecedentis est Deus, et prædicatum est homo factus: in consequenti vero non ponitur pro subjecto homo factus, sed homo tantum, et pro prædicato non Deus factus, sed Deus tantum, et ideo consequentia est nulla; illa ergo propositio: Deus factus est homo, sic convertitur simpliciter: Id quod est factum homo est Deus, sicut hæc propositio: Petrus factus est albus, non convertitur simpliciter per istam: Album factum est Petrus, hæc enim, ut diximus, falsa est, sed per istam: Id quod factum est album est Petrus.

ARTICULUS VIII.

Utrum ista propositio sit vera: Christus est creatura?

I. Conclusio: Prædicta propositio non est absolute concedenda, sed cum determinatione, aut limitatione, scilicet secundum naturam humanam. In præsentī articulo communissimum est apud theologos hanc propositionem: Christus est creatura, nullatenus esse concedendam absolute, ne in modo loquendi conveniamus cum Arianis hæreticis, quare circa hoc sit

DUBIUM UNICUM,

AN PRÆDICTA PROPOSITIO SIT VERA IN PROPRIETATE, ET RIGORE SERMONIS; AN VERO SOLUM SIT VITANDA PROPTER HÆRETICOS?

II. Circa hoc dubium D. Bonaventura in III, distinct. XI, art. II, quæst. I, in solutionibus argumentorum, et Scotus ibidem probabile iudicat, et Waldensis, ut refert Suarez in com-

mentario hujus articuli tenent quod talis propositio: Christus est creatura, in omni rigore, et proprietate sermonis est vera. Idem sentit Vazquez disp. LXV, cap. II, et pro hac sententia etiam refertur Cajetanus, sed immerito, quia non tenet illam.

III. Pro ea tamen primo arguitur ex illo Isaiaë XLV: *Ego Dominus creavi eum*. Sermo autem est de Christo, et de illo affirmatur sine addito, quod creaverit illum Dominus; ergo secundum se talis propositio est vera. Item in epistola Sophronii, quæ est in Concilio sexto, generali, actione XI, sæpe vocatur Christus Dominus absolute creatus, et increatus, potest ergo absolute, et in rigore sermonis vocari creatura.

IV. Secundo, arguitur auctoritatibus sanctorum, nam ut refert Suarez in commentario hujus articuli multi sancti patres videlicet D. Augustinus, D. Ambrosius, D. Leo, Gregorius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Fulgentius, et Damascenus locis ibi citatis docent Christum esse creatum, aut creaturam; ergo absolute sic est tenendum attendendo ad rigorem sermonis. Vazquez etiam late adducit loco supra citato sex auctoritates sanctorum, qui hoc ipsum videntur affirmare.

V. Solet his auctoritatibus responderi primo, quod isti sancti patres, nomine creaturæ, aut creationis intelligunt conceptionem, seu generationem Christi: secundo, cum S. Thoma solutione ad primum, quod debet subintelligi illa determinatio, videlicet in quantum homo, quia cum loquantur circa subjectam materiam, de Verbo scilicet divino subsistente in utraque natura, quamvis non dicant expresse Christum esse creaturam ratione naturæ humanæ, id tamen subintelligi debet, ut constat ex antecedentibus, et subsequentibus.

VI. Sed contra hoc est, quia

D. Hieronymus super verba Isaiaë relata in primo argumento, sic dicit: « Nos libere proclamamus non esse periculum illum dicere creaturam, quia creari in sacris Scripturis interdum significat fieri quod non erat, interdum id quod erat transferri in aliud esse, » ut Psalm. L dicitur: *Cor mundum crea in me Deus*: et ad Ephesios II: *Creati in operibus bonis*; ergo secundum sententiam D. Hieronymi absolute, et sine addito concedendi debet ista propositio: Christus est creatura.

VII. Confirmatur primo, quia S. Thomas in corpore articuli docet, quod ideo debet negari illa propositio: Christus est creatura, ne in modo loquendi conveniamus cum Arianis hæreticis; ergo sentit quod talis propositio in rigore sermonis sumpta est vera, et solummodo vitanda propter hæreticos.

VIII. Confirmatur secundo, quia S. Thomas eodem modo loquitur de hac propositione: Christus est creatura, atque de illa: Christus est incorporeus, in solutione ad secundum: sed illa: Christus est incorporeus absolute est vera, et solum vitanda propter Manichæos; ergo similiter dicendum est de altera: Christus est creatura: item, quia sanctissimus præceptor eodem modo etiam loquitur de hac propositione: Christus est creatura, et de hac: Christus est subjectus Patri, sed hæc absolute conceditur sine aliqua determinatione; ergo altera similiter concedi debet. Tandem articulo decimo sequenti ad primum ait, quod nomen creaturæ prædicari potest de naturis, et de suppositis; ergo in hac propositione: Christus est creatura accipi potest, ut prædicetur de natura humana Christi, atque adeo in rigore sermonis erit vera.

IX. Tertio arguitur: Proprietates,

quæ conveniunt naturæ humanæ in concreto, et prædicata essentialia ejus absolute, et sine determinatione prædicari possunt de Christo, imo et de ipso univoce dicuntur, et de nobis; ergo hæc propositio absolute est concedenda: Christus est creatura. Antecedens probatur, quia sine addito aliquo conceduntur istæ: Christus est animal rationale, et Christus est risibilis, etc. Consequentiam autem probo, quia esse creaturam essentialiter convenit naturæ humanæ in concreto, eo quod essentialiter convenit homini esse substantiam creatam.

X. Quarto arguitur: Quia natura humana Christi dicit relationem realem ad Deum ut creatorem; ergo ex tali relatione Christus dicitur absolute creatura. Antecedens est notum, et consequentia probatur, nam ex eo, quod est relatio similitudinis inter naturam humanam Christi, et nostram, dicitur nobis absolute similis; ergo similiter ratione relationis, quam dicit natura Christi humana ad creatorem, dicitur simpliciter creatura.

XI. Pro resolutione notandum est, quod quando ens dividitur prima sua divisione in ens creatum, et increatum, nomine entis increati intelligitur, quod habet taliter esse per essentiam, quod non habet illud per participationem; et e contra, ens creatum est illud, quod taliter habet esse ab alio per participationem, quod nullo modo habet esse per essentiam. Hoc supposito sit

CONCLUSIO.

XII. Hæc propositio: Christus est creaturæ, non solum debet negari ne conveniamus cum hæreticis in modo loquendi, sed etiam, quia in se est falsa. Hanc sustinet expresse

S. Thomas in III, dist. XI, quæst. I, art. II, et quæstione XXIX de veritate, art. I ad primum, et quarto contra gentiles, cap. XLVIII. In quibus locis etiam adducit rationes pro illa, et eam satis insinuat in hoc articulo dum ex communi usu nominum docet eam esse negandam. Sequuntur S. Thomam communiter ejus discipuli, inter quos est magister Medina in præsentia, et magister Vincentius in sua relectione, pagina 896.

XIII. Et probatur primo, quia quando prædicatum aptum est convenire indifferenter toti, et parti, si solum conveniat parti, non potest prædicari simpliciter, et absolute de toto sine determinatione aliqua; sed esse creaturam potest convenire indifferenter et toti, et parti, scilicet supposito, et naturæ; ergo cum solum conveniat in Christo naturæ humanæ, non poterit absolute, et simpliciter prædicari de toto, sed cum determinatione aliqua, videlicet ratione humanæ naturæ. Consequentia est bona, et minor satis nota. Major autem explicatur notando quid sit indifferenter convenire supposito, et naturæ, scilicet convenire supposito ex aliqua ratione ipsius naturæ, seu inventa in natura, aut ex aliquo actu, seu ratione inventa in ipso supposito, ut suppositum est, seu ad ipsum consecuta, qualia sunt prædicata transcendentia, quæ utrique conveniunt. Sic autem explicata ostenditur a S. Thoma exemplo Æthiopis, qui non potest dici absolute albus, sed cum limitatione, scilicet secundum dentes, eo quod esse album ut sic, et convenire potest toti, et parti, et de facto in Æthiope non reperitur in toto, sed solum in parte. Similiter ergo, quia esse creaturam potest convenire supposito ut sic, et etiam naturæ, quia in Christo de facto non convenit supposito, sed soli natu-

ræ, ideo nequit concedi absolute, sed cum determinatione in quantum homo.

XIV. Et confirmatur hoc argumentum, quia hoc nomen creatura (ut dicebamus in notabili) transcendens est naturam, et suppositum, et significat illud quod, taliter habet esse ab alio per participationem, quod nullo modo habet esse a se ipso per essentiam; ergo quando cadit supra naturam, et suppositum, sicut in hac propositione: Christus est creatura; significat quod Christus, natura scilicet, et suppositum, taliter habent esse ab alio per participationem, quod nullum illorum habet esse a se per essentiam: hoc autem est falsissimum, cum suppositum sit divinum, et consequenter habeat esse a se ipso: ergo propositio absolute prolata in rigore sermonis falsa est.

XV. Hoc argumentum secundum se magnum est, sed præcipue habet vim contra Suarez qui in præsentia assertit, quod si accipiatur creatura pro hoc quod est fieri ex nihilo, debet negari illa propositio: Christus est creatura; si vero (ut ipse existimat) accipiatur pro eo quod factum est, sive per creationem, sive quomodocumque, hac ratione potest concedi. Christus est creatura, quia Christus formaliter significat suppositum sub ratione naturæ humanæ. Contra hoc ergo auctorem dicimus majus habere robur rationem nostram, quia ipse articulo sequenti ait hanc propositionem: Christus incipit esse, negari debere absolute propter negationem, quam includit verbum incipit, ratione cujus fit sensus, quod Christus aliquando non fuit; sed etiam nomen creatura includit negationem ratione cujus sit sensus, quod Christus non habet esse a se; ergo similiter est absolute neganda.

SOLVUNTUR OBJECTA.

XVI. Ad primum argumentum respondetur ex D. Hieronymo, quod creari ibi non accipitur in rigorosa acceptione creationis, qua significat fieri ex nihilo, sed larga quadam acceptione, et impropria, quatenus dicitur fieri aliquid de novo ratione alicujus partis, ut contingit in præsentia, ubi sola natura humana de novo fit, et ratione illius dicitur Christus creatus; hæc autem est acceptio improprie vocis, ut patet ex Psalm. I: *Cor mundum crea in me Deus*, et ad Ephes. II, ubi qui justificantur, dicuntur: *Creati in operibus bonis*. Non potest tamen intelligi proprie de creatione, præcipue quia in sacra Scriptura multoties hoc nomen creari accipitur improprie, ut patet Ecclesiastici XXIV, ubi dicit Sapientia increata de se ipsa: *Qui creavit*, et: *Ab initio, et ante sæcula creata sum*, de cujus loci intelligentia videatur S. Thomas I part, quæst. XLI, art. III ad quartum, et magister Bagnez I part, quæst. XXVII, art. I dub. I ad secundum.

XVII. Deinde potest responderi secundo ad locum Isaïæ, quod licet non ponatur ibi expresse determinatio illa, scilicet in quantum homo, ponitur tamen subintellecta, et colligitur aperte ex verbis antecedentibus; præmiserat enim propheta: *Aperiat terra, et germinet salvatorem*, id est, nascatur Christus ex Virgine, et postea subditur: *Ego Dominus creavi eum*, scilicet secundum quod ex terra germinavit. His duabus expositionibus respondetur etiam ad locum ex epistola Sophronii, et ad alia loca sanctorum, quos adducit Suarez ubi supra in favorem suæ sententiæ.

XVIII. Ad secundum argumentum

respondetur solutiones ibi datas esse optimas, et intelligendos esse sanctos patres, quod subintelligunt semper in quantum homo, juxta dicta a nobis in secunda solutione ad primum. Quibus solutionibus etiam satisfiit auctoritatibus sanctorum patrum, quos adducit Vazquez ubi supra.

XIX. Ad replicam vero ex D. Hieronymo respondetur intelligendum esse juxta primam solutionem primi argumenti, patet enim ex ipsis verbis D. Hieronymi ibi non loqui de rigorosa creatione prout significat fieri ex nihilo.

XX. Ad primam confirmationem respondetur, quod S. Thomas duplici titulo ait negandam esse illam propositionem: Christus est creatura; tum ne conveniamus cum Ariani hæreticis, quod sufficiebat; tum etiam quia secundum se falsa est, si in rigore sermonis sumatur. Quod aperte colligitur ex fine corporis articuli, ubi adducit ad explicandum exemplum Æthiopis qui non potest dici absolute albus, bene tamen cum addito, scilicet secundum dentes, quia solum secundum illam partem habebat albedinem, atque adeo cum esse creaturam possit convenire indifferenter, et supposito ut sic, et etiam naturæ, et in Christo solum conveniat ratione naturæ, non potest vere denominari absolute: Christus est creatura. Ecce ergo quomodo utrumque dixit S. Thomas, et IV contra gentiles, cap. XLVIII, nulla facta mentione de periculo conveniendi cum hæreticis, si asseramus talem propositionem, ait absolute esse falsam, et non esse absolute concedendam, sed cum determinatione in quantum homo.

XXI. An secundam confirmationem respondetur S. Thomam eodem modo loqui de illis propositionibus quantum ad aliquid, ad quod adducit in exemplum, quod non debet

tenere in omnibus, non tamen eodem modo loquitur absolute. Illa enim propositio: Christus est incorporeus solum negatur, ne in modo loquendi conveniamus cum hæreticis Manichæis, non tamen quia in rigore dialectico sit falsa, sicut hæc propositio: Christus est creatura. Ratio autem exempli consistit in hoc, quod S. Thomas adduxit illam propositionem: Christus est incorporeus, tamquam instantiam illius propositionis majoris adductæ in argumento secundo, quia dixerat quod proprietates utriusque naturæ possunt prædicari de hypostasi, et respondet S. Thomas, quod istæ proprietates prædicantur absolute, nisi quando prædicata dubitationem habent circa alterutram naturam: tunc enim solum cum determinatione sunt concedendæ propter periculum conveniendi cum hæreticis. Et adducit exemplum illius propositionis: Christus est incorporeus, et quantum ad hoc tenet exemplum inter hanc propositionem, et aliam, videlicet: Christus est creatura, hanc tamen ultimam, non solum propter tale periculum negandam assuruit absolute, sed etiam quia prædicatum importat aliquid repugnans supposito divino; et in hoc non tenet exemplum.

XXII. Ad illud autem quod in eadem confirmatione tangitur secundo loco de hac propositione: Christus est subjectus Patri, respondetur, quod in illo loco citato affirmat S. Thomas, quod tam in hac propositione: Christus est subjectus Patri, quam in illa: Christus est creatura, semper est determinatio subintelligenda in quantum homo, quamvis expresse non apponatur; quare convenientius est apponere, atque adeo sine tali determinatione subintellecta, neutra propositio potest concedi.

XXIII. Ad ultimum locum, qui

ibidem tangitur, quod cum hoc nomen creatura convenire potest et naturæ, et supposito, poterit in Christo prædicari de natura præcise, non autem transferri debet ad suppositum, cui repugnat, nisi fiat cum determinatione dicta, in quantum homo.

XXIV. Ad tertium argumentum respondetur, quod omnes proprietates, et prædicata essentialia naturæ humanæ dici possunt de Christo absolute, et absque determinatione aliqua, quando non importat aliquid repugnans ipsi supposito divino, sed sensus propositionum est ita manifestus, quod prædicata illa convenienter supposito ratione naturæ humanæ, quod non sit necessarium id explicare in propositione, quia hoc exprimitur in ipso modo significandi terminorum fundato in ipsis rebus. Esse autem creaturam denotat quod suppositum Christi, cui applicatur non habeat esse essentialiter, sed per participationem, atque adeo absolute non est concedenda, sed cum determinatione, scilicet ratione naturæ humanæ.

XXV. Et obiter notandum est, de hac propositione: Deus est in prædicamento, quæ est falsa, etiam per communicationem idiomatum, quia per prædicatum importatur aliquid repugnans subjecto, scilicet esse finitum, et circumscriptum, quod est esse in prædicamento, et licet hæc sit vera: Christus est in prædicamento, id tamen est ratione naturæ importatæ in illo nomine, ratione cuius Christo convenit in prædicamento esse. Si vero non importetur ipsa natura in termino illo Deus, ut non importatur, jam non habet ratione cuius ei conveniat esse in prædicamento, et sic non eodem modo fit appellatio, sed cadit tunc prædicatum immediate super Deum ratione naturæ importatæ per illum terminum, cum esse in prædicamento

semper dicatur de termino ratione naturæ in illo importatæ. Non est sic de ista: Deus moritur, etc. quæ supposito ut sic convenit, etiamsi in termino non importetur natura ratione cuius convenit, et sicut hæc est falsa: Deus est persona composita, quia non significat duas naturas ratione quarum est compositio, hæc tamen est vera: Christus est persona composita, quia eas importat, ita et hæc: Deus est in prædicamento est falsa, quia importat naturam ratione cuius ponatur in prædicamento: hæc tamen est vera: Christus est in prædicamento ratione naturæ prædicamentalis importatæ. Denique in ista: Deus est in prædicamento, vel Christus, vel iste homo, ex parte prædicati importatur terminus secundæ intentionis, atque adeo appellatio proprii conceptus sub conceptu hominis, vel Dei.

XXVI. Ad quartum respondetur concessio antecedenti, negando consequentiam, quia cum illa relatio humanitatis fundetur in ejus reali mutatione, qua mutata fuit de non esse ad esse, hoc sufficit, ut cum addito, scilicet ratione naturæ humanæ dicatur Christus creatura, non tamen absolute. Nec est simile de relatione similitudinis in natura, quam Christus habet nobiscum, quia eo ipso quod nobis dicatur similis, explicatur quod est secundum naturam humanam, atque adeo idem est, atque apponere determinationem in quantum homo.

ARTICULUS IX.

Utrum sit vera. Hic homo (demonstrato Christo) incipit esse?

I. Conclusio est negativa circa articulum istum, suppositis, quæ articulo præcedenti diximus, parva

potest insurgere dubitatio, quia sicut hæc propositio: Christus est creatura, absolute negatur, eo quod denotat taliter Christum habere esse ab alio, quod non a se, ita etiam hæc: Christus incipit esse, aut: Iste homo (demonstrato Christo) incipit esse, quia hoc verbum incipit denotat, quod Christus, aut iste homo nunc est, et immediate antea non fuerat, absolute est neganda, quidquid in oppositum dicat Scotus in III, distinct. XI, quæst. III, et Durandus ibidem quæstione III, qui asserit esse æquivocam istam propositionem, et in aliquo sensu etiam esse veram.

II. Isti tamen temporibus Vazquez disp. LXVII, cap. III, ait has propositiones esse falsas: Verbum, Deus, aut Emmanuel incipit esse, quia subjectum supponit in illis pro Persona Filii Dei, de qua nequit verificari, quod incipiat esse: capite autem quarto, ait hanc: Christus incipit esse, aut: Hic homo incipit esse, censendas esse absolute veras. Totum vero fundamentum ejus est, quod ly hic homo, aut ly Christus, et possunt supponere pro supposito, et possunt etiam supponere pro natura, quæ revera incipit esse et in istis ultimis propositionibus supponit pro natura; atque adeo sunt absolute veræ.

III. Hoc autem falsissimum est, et valde alienum ab homine in summis mediocriter perfecto, nomina enim posita a parte subjecti, si concreta sunt, nunquam supponunt pro natura, sed semper pro supposito, et ut plurimum pro supposito connotando naturam. Quamvis ergo ly homo de formali significet naturam humanam, aut nomen Christus, semper tamen supponit pro supposito divino, atque adeo de illo absolute, et sine determinatione in quantum homo nequit illud prædicatum dici, sicut nec de